

cundum cor suum, cui tulò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum. Tu.

¶ Defuncto Herode Angelus Domini apparuit in somnis JOSEPH in Ægypto, dicens: \* Surge, et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel. ¶ Defuncti sunt enim, qui quærebant animam Pueri.—Surge.

*Benedict.* Cujus Sanctum Sponsium.

## LECTIO 8.

Planè filius David, cui tanquam alteri David incerta et occulta sapientia suæ manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus sæculi agnovit: cui denique datum est, quod nulli reges et prophetae cum vellent videre, non viderunt, audire et non audierunt, non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deo-seculari, et nutrire, et custodire. Tu.

¶ Descendit JESUS cum eis, et venit Nazareth, \* Et erat subditus illis. ¶ Facit me Dominus quasi Patrem Regis et Dominum universæ terræ.—Et erat.—Gloria.—Descendit.

## LECTIO 9.

Non tantum antem JOSEPH, sed et MARIA descendisse credenda est de domo David. Alioquin non esset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David, sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David, altero tantum consensio, et teste adimpletæ promissionis. Tu. Te Mat.

## AD LAUDES

et per Horas antiphona.

1. Mulieris bonæ \* beatus vir:

numerus annorum illius duplex.  
2. Confidit in eâ \* cor viri sui, et spoliis non indigebit.

3. JOSEPH vir ejus, \* cum esset justus, dilexit illam corde perfecto.

4. Fidelis servus et prudens, \* quem constituit Dominus super familiam suam

5. Quem constituit \* Dominus suæ Matris solatium, et suæ carnis nutrimentum.

**CAPITULUM. Genes. 49. 26.**  
*Benedictiones* Patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus, donec veniret desiderium callium æternorum: sicut in capite JOSEPH, et in vertice Nazareth inter fratres suos.

**HYMNUS 228. Brev. Rom.**  
Cælitum Joseph decus atque nostræ Certas spes vitæ, columenque mundi, Quas tibi læti canimus, benignus Accipe laudes.

Te Sator rerum statuit pudicæ Virginis sponsum, voluitque Verbi Te Patrem dici, dedit et ministrum Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,  
Quem chorus vatum cecinit futurum,  
Aspicis gaudens humilisque Natum Numen adoras.

Rex Deus regum, dominator orbis,  
Cujus ad nutum tremitt inferorum Turba, cui pronus famulatur æther Se tibi subdit.

Laus sit excelsæ Triadi perennis,  
 Quæ tibi præbens superos honores,  
 Del tuis nobis meritis beatæ Gaudia vitæ. Amen.

¶ Magna est gloria ejus.

¶ In salutare Dei.

¶ Benedict. *ant.* JOSEPH vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

## Oratio.

Deus, qui ineffabili providentiâ beatum JOSEPH Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta quaesumus, ut quem protectorem veneramus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Qui vivis.

## AD PRIMAM.

*Ant.* Mulieris. *Capit.* Benedict. ¶ *br.* Quæ justo JOSEPH desponsata fuisti.

## CANON.

Ex D. Augustino Episcopo. *Ap. D. Thom. de Villan. Conc. 3. de Annunt.*

485. JOSEPH filii David: ille Deus, qui scripsit mirabilia in lege suâ; ipse fecit mirabilia in Conjugio tuâ. Quod legis in libris tuis, aspice in MARIA oculis tuis: ut dignè dicas canticum David patris tui: sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, quam Deus fundavit in æternum. Tu.

## AD TERTIAM.

**CAPITULUM. Genes. 49. 25.**  
Deus Patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus desuper.  
¶ *br.* Faciamus \* Virgini MARIÆ.—Faciamus. ¶ Adjutorium simile sibi.—Virgini.—Gloria.—Faciamus.

¶ Erat JOSEPH pulchrâ facie.  
¶ Et decorus aspectu.

## AD SEXTAM.

**CAPITULUM. Genes. 49. 25.**  
Filius accrescens JOSEPH, filius accrescens, et decorus aspectu: filia discurrebant super murum.

¶ *br.* Erat JOSEPH \* Pulchrâ facie.—Erat. ¶ Et decorus aspectu.—Pulchrâ.—Gloria.—Erat. ¶ Mulieris bonæ beatus vir. ¶ Numerus annorum illius duplex.

## AD NONAM.

**CAPITULUM. Prov. 28. 20.**  
Vir fidelis multum laudabitur, et qui custos est Domini sui glorificabitur.

¶ Constituit eum Dominus \* Dominum domus suæ.—Constituit. ¶ Et principem omnis possessionis suæ.—Dominum.—Gloria.—Constituit.

¶ Tu eris super domum meam.  
¶ Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet.

## IN II. VESPERIS.

*Psalmi de Solemnit. Antip. et Cap. de Laudib.*

**HYMNUS 229. Brev. Rom.**  
Iste, quem læti colimus fideles,  
Cujus excelsos canimus triumphos,  
Hæc die JOSEPH meruit perennis Gaudia vitæ.

O nimis felix! nimis ò beatus,  
Cujus extremam vigiles ad horam  
Christus et Virgo simul asilerunt  
Ore supremo.

Hinc stygis victor, laqueo solutus  
Carnis ad sedes placido sopore,  
Migrat æternas, rutilisque cingit  
Tempora sertis.

Ergo regnantem flagitemus omnes,  
Adsit, ut nobis, veniamque nostris  
Obtinens culpæ, tribuat supernæ  
Munera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honores,  
Trine, qui regnas, Deus, et coronas  
Aureas super tribus fidelis

Omne per ævum. Amen.  
¶ Gloria et divitiæ in domo ejus.

¶ Et justitia ejus manet in sacculum sæculi.

*Ad Magnific. ant.* Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

*Oratio de Laudibus.*

DIE XXI. MART.

## OBEDIENTIAE B. M. V.

Duplex.

Ad Magnif. ant. Eva inobediens et sibi et universo generi humano causa facta est mortis. MARIA verò Virgo Obediens, et sibi et universo generi humano facta est causa salutis. *Oratio de Comm.*

*Lect. 1. Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni, Ep. *De laudib. B. M. V. l. 4. c. 28.*

LECTIO 4.

De obedientia MARIE dicit ipsa: anima mea liquefacta est per incendium charitatis, parata videlicet instar metalli liquefacti, decurrere in omnes modulos divinae voluntatis: ut dilectus loquutus est ad me per Gabrielem postulans me in Matrem, cui me obtuli in ancillam, sciens, quoniam qui se humiliat, exaltabitur. Nota quod proprium est metalli liquefacti descendere. Sic fecit MARIA obediendo, cum postulata in Matrem Dei, quod fuit ei summa dignitas, se nominat ancillam, quod fuit summa humilitas. Et ideo animae suae attribuit liquefactionem, quae est propria metalli. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Item ratione obedientiae comparatur auro MARIA, ubi dicitur arca, thronus, solium. Comparatur ferè omnibus vasis templi, et tabernaculo quae fuerant aurea. Aurum enim tractabilis est omnibus metallis, et quanto tractabilius, tanto subtilius, operibus faciendis competentius. De quo videlicet auro fabricatum est officio Spiritus Sancti vas illud admirabile, opus excelsi, in quo Filius Dei comedit favum suum cum melle suo, bibit

vinum suum cum lacte suo. Item in obedientia MARIE impletum est, quod olim praedixerat Dominus per Joelem: obedientiam se malle, quam sacrificium, et scientiam Dei. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Item ratione obedientiae potes ipsa dicere cum Filio suo illud Isaiae. Erige manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem. Eleganter verba disposuit, cum prius sibi erectam aurem perhibuit quam apertam. Manè dicit MARIA erectam ei aurem quae ab initio aetatis ad verba caelestia paratum habuit auditum, et docuit nos habere. Eraxerat autem, et aperuerat Dominus auditum MARIE, unde quasi juvenula erectam aurem habens, facile et libenter suscepit verba angelica, in quibus turbata est: quae etiam nullum verbum audisse legitur in Evangelio ante illud. Tu. ꝑ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangel. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 28.

In illo tempore: Ingressus angelus ad MARIAM, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senensis.

*Serm. de Laud. Virginit.*

art. 2. c. 9.

Sicut ex inobedientia primae nostrae parentis sumus condemnati; ita per obedientiam MARIE Virginis sumus à morte peremptoria liberati: ideo haec obedientia ab Eva rejecta, à MARIA gratanter recepta, continè Virgini suadebat optare salutem mundi: ideo divinae voluntati subdi, et omnino sub divino imperio ejus voluntatem amhilari. Undè audita Domini voluntate de conceptu Filii sui, volenter

aliquo latentè, etiam velocitèr angelo ait: Ecce: quasi dicat: ecce volenti corde, latenti facie, atque veloci opere adimpleo, quidquid divine fuerit beneplacitum voluntati. Tu. ꝑ.

*Bened. Cujus Obedientiam.*

LECTIO 8.

Et in hoc Beata Virgo MARIA docet esse obedientes. Primò volentèr, id est, volenti corde. Debet enim majori justa praecipienti respondere, quod apostolus ait: Domine, quid me vis facere? Quia ut dicitur Ecclesiastico: melior est obedientia, quam stultorum victimæ: quia hæc maclatur voluntas propria, ibi verò voluntas aliena. *Lect. 9.* Secundò debent obedire latentes, id est, latè facie: unde Bernardus: hilaritas in vultu, dulcedo in sermone nullum decorant obedientiam subsequentis: nubilosa verò corporis compositio, et facies tenebris obscurata devotionem ab animo recessisse signat. Tertio debent obedire promptè, id est, prompto opere, sicut psalmus ait: in auditu auris obedivit mihi: et alibi viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Tu. ꝑ.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Cracoviensis.

*Balagh. sub. die 17. April.*

Cum Tartari Russiam, et Voliniam popularentur, Sanctus Hacinthus Kiomæ agebat, et ingresso in templum locuta est Imago Beatae Virginis MARIE. Cur me, inquit, Hacinthè, solam relinquis? Cur ludibrio barbarorum exponis? Cur tecum me, et Filii mei Sacramenta non effers? His admonitus, Sacerdotis habitu indutus, alterà verò prægrandem ex alabastro Virginis Imaginem apprehendit, et nullam inveniens navim Boristensis aquae se commisit, ac cicco vestigio ingen-

tis Iconis pondere onustus profundissimum flumen trajecit, ac tandem Cracoviam pervenit incolomis. Piam illam sarcinam Imaginis Deiparæ Cracoviae in templo sui ordinis Sanctissimæ Trinitatis reliquit. Tu.

*Ad Te Matrem.*

*Ad Benedict. ant.* O verè ancilla, quæ neque dico neque factò, neque cogitavi unquam contraxisti Amoris, nihil sibi libertatis reservans, sed per omnia subdita Deo.

*Ad Magnif. ant.* Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.

DIE XXIII. MART.

## CONSTANTIAE B. M. V.

Duplex.

*Officium fit ut in tempore Passionis.*

IN I. VESPERIS.

HYMNUS 230. *Maerkel.*

Eamus è vestigio,  
Eamus ad spectaculum;  
In Golgotæ fastigio,  
Doloris est miraculum.  
Clavis ibi trabalibus,  
Dum fixa membra destuant,  
Et quinque de canalibus  
Cum morte vitam depluant.

Duo MARIA lumina  
Instar duorum fontium,  
Spargunt amoris flumina  
Inler pretosa montium.

En fronte sub tenerrimâ  
Amoris humor enilet:  
Quam, Virgo, me pulcherrima  
Tui doloris penitet!

Quin lacrymas huc dirigit?  
Genæ tuæ sunt lividae;  
O Virgo, si me diligis,  
Mecum dolores divide.

Faxit beata Trinitas,  
Ut gaudeam favoribus,  
Quos indidit Divinitas  
Matris meae doloribus. Amen.

## Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui Constantiam beatissimæ Virginis recolinis, forti animo semper in adversis, ut morum similitudine similes ei effecti, post ipsam ad cælestia regna perducamur. Per Dominum.

## AD MATUTINUM.

*Inuolator.* Stabat Virgo MARIA in magnâ Constantiâ juxta Crucem, \* Dum pendebat ex eâ Filius ejus Christus.

HYMNUS 231. *Maerkl.*

Fulcite me languoribus,  
Sipate me doloribus,  
Amore JESU languo,  
Dolore, amore languo.

Arâ Crucis ex horridâ,  
Sub zonâ amoris torridâ  
Natus meus suspenditur,  
Amor meus distenditur.

Amor doloris malleo  
Figit manus; hinc paleo:  
Dein pedi pes figitur;  
Meum cor hinc affligitur.

Instar latronum vilium  
Pendere cerno Filium:  
Amoris est consensio,  
Quod sentit ille, sentio.

Ejus cruci confixa sum,  
Quem nil dolens enixa sum:  
Externa Crux est lignea,  
Interna Crux est ignea.

Qui me dolor deposcitur,  
Amoris igne nascitur,  
Et sentio cor dividi,  
Tam sunt dolores vividî.

O Unitas! O Trinitas!  
O Numinis divinitas!

Fac ut doloris nubulum  
Sit in perenne nubulum. Amen.

*Lection. 1. Noct. de ferid.*

## IN II. NOCT.

## LECTIO 4.

De Constantiâ Beatissimæ Virginis dici potest, quod ipsa semper stetit

firmâ in justitiâ et sanctitate, quia nunquam in aliquo peccatum vel minimum lapsa est. Audivit enim præceptum Altissimi: Fili, accedens ad servitutem Dei, stas in justitiâ, et timore. Stetit MARIA in servitio Dei operibus justitiæ firmata: undè de illâ dicitur in Proverbiis: Manum suam misit ad fortia, id est, ad ardua virtutum opera. Tu.

¶. Suâ Constantiâ vicit Virgo sextum, vicit hominem, et passa est ultrâ humanitatem, \* Torquebatur enim magis ob tormenta Filii, quàm si torqueretur in se. ¶. Stetit semper juxta Crucem JESU in magnâ constantia orans pro illis qui eum cruci affixerant. Torqueb.

## LECTIO 3.

Stetit quoque MARIA in fide JESU Christi, et in maximis adversis constantissima ac patientissima. Constantissima; nam, cunctis amicis et discipulis in passione fugientibus, in gloriam totius feminei sexus inter tot pressuras Filii sui constanter ipsa sola stetit usque ad mortem in fide JESU Christi firma.

Patientissima; nam, etsi animam ejus totam pertransiret et possideret vis immensi doloris, tamen, ut deceat pudicitiam virginalem, non se laniabat in tantâ amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à Deo petebat, sed firmissimè, velut immeta pelagi rupes, quæ sese multis circum latrantibus undis mole tenet, semper stetit. Tu.

¶. Licet Virgo confossa acuto cor doloris spiculo, \* Nil malo exterrata tanto turbidum ore protulit, nilque prorsus indecenter egit ut inconditè. ¶. Sed suum dolorem acerbum temperabat fortiter. Nil.

## LECTIO 6.

Constantiam denique hanc Deiparæ

terræ illius declarabat consistentia, de quâ Ecclesiasticus: Generatio præterit, et generatio adventit, terra autem in æternum stat. Præterit siquidem Petrus, quando cum reliquis Ecclesiæ Principibus fugit. Adventit generatio, cum latro credidit, et in paradysum pervenit. Terra autem hæc virginæ stat in æternum, quia divinum æternumque fructum proferens, immobilis stetit in fide Christi, et charitate. Undè Ecclesia in triduo Passionis officio omnes candelas extinguit, unicâ absconditâ relicta, quæ Beatam Virginem significat, quia in fidei lumine constans stetit, fugientibus discipulis, quos postea omnes illuminavit. Tu.

¶. Ul pelagi rupes magno veniente fragore \* Quæ sese multis circum rugientibus aquis firma tenet. ¶. Sic MARLE mens fidelis cæteris lapsantibus, firma mansit more rupis passionis tempore.—Quæ.—Gloria.—Quæ.

## IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evarjeli secundum Joannem.

## LECTIO 7. e. 19. 25.

In illo tempore: Stabat juxta crucem JESU Mater ejus et soror Matris ejus MARIA Cleophe, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia B. Guillelmi Abbatis.

*Ap. Crysgon. p. 162.*

Ubi ad hoc ventum est, ut bajulans sibi crucem JESUS exiret in eum, qui dicitur Calvaria locum, tollebat et ipsa, Virgo scilicet, crucem suam, crucem interioris hominis sui, et sequebatur eum crucifigenda cum eo. Undè dicitur statura tua assimilata est palmæ. Siquidem per palmam, quâ manus victoris antiquo ritu ornatur, insigne illud et victoriosum crucis lignum

signatur, cui nimirum Evangelista staturam piæ Matris assimilatam insinuans: Stabat, inquit, juxta Crucem JESU Mater ejus. Tu.

¶. Pressa sub ingenti ceu pondere palma virescit, \* Sub cruce sic floret Genitrix Virgo Dei. ¶. Tua, Virgo, statura palmæ comparata est ardua. Sub.

*Bened. 8. Cujus Constantiam.*

## LECTIO 8.

Quis tam piam Matrem dulcissimo Filio in cruce morienti astantem, accerrimi doloris ambigat crucem intus tolerasse? Planè ille foris, et illa intus patiebatur crucem. (Lect. 9.) Stabat illa juxta crucem sui JESU, atque eo ipso sibi mel quodammodo erat in cruce erecta, stando juxta crucem Filii, ipsa quodammodo per affectum maternum facta erat crux: sic ergo cum staret juxta insigne illam palmam, statura ejus assimilata est palmæ. Tu.

¶. Quamvis, quot Christus ipse semivivo in corpore vulneremur rehat ictus, \* Tot quoque ipsa sauciis Virgo plagas ferret intus anxia in præcordiis; ¶. Haud locum complevit omnem questibus muliebribus.—Tot.—Glor.—Tot.

## LECTIO 9.

Commemoratio B. V. de Gregnana.

*Cantab. libr. 3. c. 2.*

Quatuor ferè ab urbe Ilerdæ miliaribus, in regione, quæ Gregnana dicitur, sub eodem nomine Diva Virgo in quodam Sacello ingenti cultu afficitur. Imago ejus, quæ ibi asservatur, ididem sub rubo, bove indice, à Pastore inventa traditur: lapidea est, colore suffuso: puerum sinistro genu sedens sustinet: palmo alta. Ad eam magnus fit fidelium accursus, præcipue die vigesima quintâ Martii. Hoc Sacellum antiquissimum est, nam jam

ab anno millesimo trigesimo quadragesimo pluribus indulgentiis dilatum fertur. Tu. Te Matrem.

## AD LAUDES.

HYMNUS 232.

Maerkel.

Calvaria est amoris,  
Et est doloris vinea:  
Sunt prela vinitoris  
Clavi et corona spinea.  
Dum fixus Christus JESU  
Crucisque calcat torculum,  
Amor dolore laesus  
Premit MARLE corculum.

MARIA, quando petra  
Sensu doloris scinditur,  
Diesque nocte letra  
Luget, tibi cor finditur.

Deposta membra ligno,  
Sed membra cassa lumine,  
Foves sinu benigno.  
Lavas doloris flumine.

Cum Filio sepulchro  
Lapis sepulchro advolvitur,  
Tibi MARIA multo  
Dolore vita solvitur.

Sedens ad antra tumbæ  
Mæsto susurro murmuris,  
Instar gemis columbæ  
Et plangis instar turritis.

O Mater, fac dolorum  
Per hanc amaritudinem,  
Cœlestium bonorum  
Gustem suavitudinem.

O Numen! O Divinitas!  
In unitate Trinitas,  
Fac ut doloris nubilum  
Sit in perenne jubilum. Amen.

## CANON.

Ex D. Ambrosio Episcopo.  
apud *Chrisogoni*. p. 164.

486. Lego «Virginem» slantem juxta crucem Domini, non lego plorantem: stare namque in illâ cordis amaritudine magnæ adscribitur Constantiæ, abstinere à lacrymis summæ verecundiæ annotatur. Cohibebat illa lacrymas præ pudore,

slabat submissimâ quadâm animi magnitudine; itaque nec dolor excussit lacrymas, nec animum pena dejecit, quia hinc pudor honestus, hinc fortis Constantia decertabant. Tu.

## IN II. VESPER.

HYMNUS 233. Maerkel.

Sub vesperæ crepusculum  
JESU supra corpusculum,  
Dolore Mater ebria  
Nato facit funebria.

Supra cadaver flectitur,  
Et brachii amplectitur,  
Et stringit inter ubera  
Frontis cruentæ tubera.

Deinde junctis vultibus  
Cœlum ferit singultibus  
Frontique dum frons jungitur,  
Spinis acutis pugitur.

O Virgo, cui das osculum?  
Spinas habes, non flosculum?  
Flos ille jam sublatus est,  
Qui te parente natus est.

Genæ rubent non floribus,  
Sed vulnerum liquoribus;  
Sed hæc erroris lineæ  
Rosæ coronæ spineæ.

Has osculando pungeris,  
Sic vivis et depungeris;  
Nam præ dolore cor tuum  
In lacrymis est mortuum.

O Unitas! O Trinitas!  
O Numinis Divinitas!  
Fac ut doloris nubilum  
Sit in perenne jubilum. Amen.

## DIE XXIV. MART.

## IN VIGILIA ANNUNTIAT. B. V. M.

Simplex.

Hæc vigilia ornatur, si solemnitas Annuntiationis transferatur ad tempus paschale. Omnia de ferid.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 1. c. 1. 29.

In illo tempore: Cum audisset MA-

RIA angelum, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Hom. 4. super missus.

Audisti, quia concipies, et paries filium: Audisti, quod non per hominem, sed per Spiritum Sanctum: expectat angelus responsum, tempus est enim, ut revertatur ad Dominum, qui misit illum. Expectamus et nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis: statim liberabimur, si consentis. Tu. *g. de ferid.*

## LECTIO 2.

Hoc supplicat à te, ô pia Virgo, flebilis Adam cum miserâ sobole suâ exul de paradiso: hoc Abraham, hoc David. Hoc ceteri flagitant Sancti Patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbræ moris. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immeritò, quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum, salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da Virgo, responsum festinater. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi. Tu. *g.*

## LECTIO 3.

Ipsè quoque omnium Rex, et Dominus, quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum: in quo mirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio, jam magis placebis ex verbo: cum ipse tibi clamet de cœlo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam, ipse se faciet videre salutem nostram. Nunquid non

hoc est, quod quærebis, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? Responde itaque citius angelo, imò per angelum Domino. responde verbum, et suscipe Verbum. Profer tuum, et concipe divinum. Emitte transitorium, amplectere sempiternum. Tu. *g.*

Preces in Laud. et in Primid.

## Oratio.

Deus, qui per Incarnationem Filii tui in utero immaculato Beate Virginis MARLE mundum reparare dignatus es: concede propitius, ut qui tantam prævenimus festivitatem, per fidem in cordibus nostris ipsum concipere mereamus. Qui tecum vivit, et regnat.

## CANON.

Ex Paulo Papâ Quinto.  
Const. 233. an. 1615.—B. R.  
Tom. V. p. 4. pag. 183.

487. Immense bonitatis Creator omnium Deus... ad magnum et ineffabile implendum «Incarnationis» mysterium ex omni creaturâ MARIAM Virginem purissimam atque sanctissimam de regni stirpe præelegit. Tu.

Vesperæ de sequent.

## DIE XXV. MART.

## SOLEMNITAS

## ANNUNTIATIONIS B. V. M.

Duplex 1. Class. cum Oct.

Hæc Solemnitas transferatur ad primam diem non impeditam, si occurrat in Domin. Passion. seu Palmæ. aut in hebdom. majori, vel infra Octav. Paschæ. Octava verò non transferatur, sed omittitur.

## IN I. VESP.

Ant. 1. Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum.

Psalmi de Solemnitat. ut in I. Vesp.

2. Aperiatu terra nostra, et nobis germinet Salvatorem mundi.

3. Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos nos facias.

4. Descende sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stillantia super terram.

3. Benedicentur omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

CAPITULUM. Zach. 2. 10.

Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui, ait Dominus.

ꝑ. Virgo Israel, usquequò dolens averteris? \* Generabis Dominum, oblationem novam in terrâ: ambulabunt homines in salvationem. ꝑ. Emitte agnum, Domine, de petrâ deserti ad montem filiae Sion.—Generabis.—Gloria.—Virgo Israel. *Et dicitur tantum hæc die in Vesper.*

HYMNUS 234. Brev. Gallie.

Hæc illa sollemnis dies  
Dies salutis nuntia,  
Quâ missa cælo tristibus  
Venere terris gaudia.

Unius omnes crimine  
Casu gravi lapsi sumus:  
Ut ipse lapsos erigat,  
Descendit in terras Deus.

Qui Patris æterni sinu  
Æterna proles nascitur,  
Obnoxius fit tempori,  
Sinum nec horret Virginis.

Mortale corpus induit  
Orbi piando victimam,  
Ut innocenti sanguine  
Scelus nocentium diluat.

Qui cuncta complet Numine,  
Nostros se in artus colligit;  
Ut nos reducat ad Deum,  
Est ipse nobiscum Deus.

Sit laus Patri, laus Filio,  
Sit par tibi laus, Spiritus,  
Quo dante Virgo concipit,  
Manetque semper integra. Amen.

*Hæc Doxolog. dicitur per octav.*

ꝑ. Utinam dirumperes cælos, et descenderes.

ꝑ. Tange montes, et fumigabunt.

*Ad Magnif. ant.* Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem MARIAM, desponsatam viro, cui nomen erat JOSEPH.

*Orat. de Laudib. Compl. de Domin.*

AD MATUTIN.

*Invidator.* Verbum Dei incarnatione de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine, \* Venite, adoremus.

HYMNUS 233. *Apud Marrac.*  
Jam mitti præmium hæc Dei Filia  
Ad Dei Filium, nardus et præmia,  
Hæc, misso nuntio in colli solium,  
De cæli solo eduxit nuntium.

In ventis ocyor, qui missus fuerat,  
Missio velocior intrat, qui miserat:  
Amicis ostium patet cælestibus,  
Urbs hæc cælestium non patet ho-  
stibus.

Nam munit Virginem turris humi-  
litas,

Et ambit humilem murus virgini-  
tatis:

Hæc intrat humilis, quòd est mira-  
bile,

JESUS mirabilis castellum humile.  
Hunc ventris gremium, capit hic  
spatia,

Nullum hoc spatium, nec mundi  
gremia:

Est hoc in sæculum novum mira-  
culum,

Tanto miraculo miratur sæculum.  
Collatum simili nihil est mira-  
bile,

Huic mirabili quis vidit simile?  
Hæc virum peperit, nec virum  
noverat,

Hunc virum noverat, needum pe-  
pererat.

Novis in utero virum et puerum,  
Vir est à puero, intrat in utero:  
Hinc nobis oriens, nunquam com-  
moritur,

Quo mundus omnis per mortem  
oritur.

Nos apud Filium reos concilia,  
Reis consilium à regis filia,  
Ut trahat homines ad se dux vir-  
ginum,

Clamat ad Virginem gemens cor  
hominum. Amen.

IN I. NOCT.

*Ant. 1.* Missus est Angelus \* Gab-  
riel ad MARIAM Virginem de-  
sponsatam JOSEPH.

*Psalm. 8.* Domina Dominus no-  
ster. p. 4.

2. Ne timeas, MARIA, \* inve-  
nisti gratiam apud Deum.

*Psalm. 13.* Conserva me. p. 25.

3. Ecce concipies, \* et paries  
Filium, et vocabis eum JESUM.

*Psalm. 44.* Eructavit. p. 30.

ꝑ. Angelus Domini nuntiavit MA-  
RIÆ.

ꝑ. Et concepit de Spiritu Sancto.  
*Lect. ut in Dom. 1. Advent. p. 100.*

ꝑ. 1. Ecce jam venit plenitudo  
temporis, in quo misit Deus Filium  
suum in terras, \* Ut incarnaretur  
de Spiritu Sancto ex MARIA Virgi-  
ne. ꝑ. Propter nimiam charitatem  
suam, quâ dilexit nos Deus, Filium  
suum misit in similitudinem  
carnis peccati.—Ul.

ꝑ. 2. Canite tubâ in Sion, vocate  
gentes, annuntiate populis, et  
dicite: \* Ecce Virgo concipiet et  
dabit Filium, et vocabitur nomen  
ejus Emmanuel. ꝑ. Annuntiate et  
audium facite: loquimini, et cla-  
mate.—Ecce.

ꝑ. 3. Quomodò fiet istud, ange-  
le Dei, quoniam virum non cog-  
nosco? \* Audi MARIA Virgo: Spiritus  
Sanctus superveniet in te, et  
virtus Altissimi obumbrabit tibi.

ꝑ. Ecce Rex tuus venit tibi justus,  
et salvator, et habitavit in medio  
tui.—Audi.—Gloria.—Quomodò.  
*Infra octav. Audi.*

IN II. NOCT.

*Ant. 1.* Quomodò fiet \* istud,  
quoniam virum non cognosco?

*Psalm. 45.* Domina, refugium.  
p. 30.

2. Spiritus Sanctus \* superveniet  
in te, et virtus Altissimi obum-  
brabit tibi.

*Psalm. 49.* Deus Deorum. p. 31.

3. Quod nascetur \* in te San-  
ctum, vocabitur filius Dei.

*Psalm. 63.* Exaudi Deus. p. 34.  
ꝑ. Ecce Ancilla Domini.

ꝑ. Fiat mihi secundum verbum  
tuum.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.  
*In Luc. c. 1. in Nativ. S. Joan. Bap-  
t. LECTIO 4.*

Post sextum mensem conceptionis  
Joannis, qui est octavo Kalendas  
Octobris, sextus mensis Martius,  
principium anni, quia princeps et  
primarius omnium, ipso mense  
concepit et passus est. Ex die  
igitur conceptionis Joannis octavo  
Kalendas Octobris, usque octavo  
Kalendas Aprilis, quando Angelus  
Gabriel ingressus est ad MARIAM,  
et salutavit eam, dicens: Pax tecum  
quia invenisti gratiam apud  
Deum. Quæ auditio hoc verbo con-  
turbata est, et cogitabat intra seme-  
pitam, quæ esset ista salutatio. Tu.

ꝑ. Suscipe verbum, Virgo MA-  
RIA, quod tibi à Domino per An-  
gelum transmissum est: \* Concipies  
et paries Deum pariter et hominem.  
ꝑ. Benedicite tu inter mulieres, et  
benedictus fructus ventris tui. ꝑ.  
Concipies.

LECTIO 3.

Qui cixit Angelus: Ne timeas, MA-  
RIA, quia invenisti gratiam apud  
Dominum: Ecce concipies in utero  
et paries Filium, et vocabis nomen  
ejus JESUM. Hic erit magnus et fi-  
lius Altissimi vocabitur: et dabit tibi  
Dominus sedem David patris ejus,

et regnabit in domo Jacob in secula, et regni ejus non erit terminus. Cui respondit MARIA. Et quomodo hæc cognoscam, cum virum non noverim? Et dixit illi Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: propter quod is qui nascetur Sanctus, vocabitur Filius Dei. Tunc MARIA fida sermone dixit: Ecce Ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum. Tu.

¶ Spiritus Sanctus in te descendet MARIA: Ne timeas, habebis in utero Filium Dei. ¶ Ecce Virgo concipiet, dicit Dominus.—Ne timeas.

## LECTIO 6.

Fuit igitur, quando hæc Angelus ad MARIAM nuntiavit, octavo Kalendaris Aprilis, qui et ipse est dies æquinoctialis ad inchoationem lucis, jam enim detersa caligine à mundo, lux in mundum adveniebat, sicut Joannes in Epistola sua dicit: quia tenebræ transierunt et lumen verum jam lucet. Conceptus est ergo Dominus noster Octavo Kalendaris Aprilis, mense Martio, qui est dies Paschæ Passionis Domini, et Conceptionis ejus. In qua enim die conceptus est, in eadem et passus est. Tu.

¶ Ne timeas, MARIA Virgo ad verbum Angeli: Quod enim ex te nascetur Sanctum vocabitur filius Dei. ¶ Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus tecum.—Quod.—Gloria.—Ne timeas.

## IN III. NOCT.

Ant. 1. Ne timeas, \* MARIA, quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Ps. 68. Salvum me. p. 35.

2. Ecce Elizabeth \* cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute sua.

Ps. 101. Domina, exaudi. p. 42.

3. Ecce Ancilla Domini, \* fiat mihi secundum verbum tuum.

Ps. 131. Memento. p. 48.

¶. El Verbum caro factum est.

¶. El habitavit in nobis.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Misus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Damasceni.

Orat. in ann. B. M. V.

Rex cœlestis misit ad Virginem ministrum suum Gabrielem, ut ipsam salutatione lætitiæ compellere, certiorumque faceret esse se à Creatore electam, dicendo: Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et quomodo benedicta non esset, et gratiâ plena, cum quæ creaturarum Dominus fuit, copulando sibi ex eâ templum, quo opem generi suo efferret? Hodie qui format res omnes visibiles, et invisibiles, effinxit sibi imaginem humanam. Hodie qui producit omnes creaturas spirituales et materiales, produxit sibi carnis figuram. O misericordie Creatoris abyssum, et excellentiam descensus ejus! Tu.

¶. Benedicta et venerabilis es, Virgo MARIA, \* Quæ de celo suscepisti prolem, et mundo genuisti Salvatorem. ¶. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.—Quæ.

Benedict. Cujus Annuntiationem.

## LECTIO 8.

Quando Angelum vidit MARIA, turbata est ob sermonem ejus secumque cogitare cepit: undenam esset ista salutatio. Angelus verò dicit ei: Ne timeas, MARIA: nacta es gratiam Dei. Ecce concipies in utero,

Psalmi de Domin.

2. Paries Filium \* et vocabis nomen ejus JESUM.

3. Hic erit magnus \* et filius Altissimi vocabitur.

4. Regnabit \* in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

3. Ecce Elizabeth \* cognata tua, et ipsa concepit Filium in senectute sua.

CAPITULUM. Zach. 2. 10.

Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui.

HIMNUS 236 Santeul.

Cœlestis ales nuntiat  
Implenda mox mysteria;  
Virtute secunda Deus  
Illatus implet Virginem.  
Qualis stupendo gloria  
Te, Virgo, de partu manet?  
Conceptus in tuo sinu  
Natus Dei nunc est laus.

De virginali sanguine,  
Quem nulla lades inficit,  
Tingente Sancto Spiritu,  
Christi caro compingitur.

Nobis per hunc mortalibus  
Læscit esca cœlitum:

Nos pascit infantes homo,  
Qui pascit angeos Deo.

Sit laus Patri, laus Filio,  
Sit par tibi laus, Spiritus,

Quo dante Virgo concipit,  
Manetque semper integra. Am.

¶. Ave, MARIA, gratiâ plena.  
¶. Dominus tecum.

Ad Benedict. ant. Ecce ancilla Domini: \* fiat mihi secundum verbum tuum: et Verbum caro factum est.

## Oratio.

Deus qui hodiernâ die Verbum tuum in beatæ Virginis alvo incarnari voluisti: fac nos ita præsentem solemnitate peragere, ut tibi placere valeamus. Per eum d.

et paries Filium, et vocabis nomen ejus JESUM. Protecto gloriosa hæc et illustris inter mulieres gratiam nacta est apud Deum, cum ab eo electa est, ut corpus ex ipsa sumeret, compingeretque ex sancto ejus sanguine, ut eâ non fuerit antea puritate similis, nec post futurus pari sanctitate præditi. Tu.

¶. Beata es Virgo MARIA quæ Dominum portasti creatorem mundi: \* Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo. ¶. Ave MARIA gratiâ plena, Dominus tecum.—Genuisti.

In diebus infra Octav. omittitur.

## LECTIO 9.

Quam ob rem omnes simul occurramus, senes et adolescentes, ætate graves et juniores ad honorandam Dominam nostram, ac nostræ naturæ Reginam, laudibus prædicantes puritatis ejus decorem, perpetuam virginitatem reverentes, altitudinem denique sanctitatis ejus honorantes, dicamus, ô gloria filiarum! O Matram decus! O genitricem viro incognitam! O Virginem Filio gravidam! O miraculum, quo missi à Deo propheta percussus sunt, et crucis gloria Angelos superavit! Propitia sis servorum tuorum, qui auxilium tuum implorant deprecationibus. Tu.

¶. Virgo Israel, usquequò dolens averteris? \* Generabis Dominum, oblationem novam in terrâ: \* Ambulantibus homines in salvationem. ¶. Emitte agnum, Domine, de petrâ deserti ad montem filia Sion.—Generabis.—Gloria.—Virgo.

In diebus infr. Oct. Generabis. Et dicitur post 8. Lectionem.

## AD LAUDES

et per horas antiphonæ.

1. Ave, MARIA, \* gratiâ plena, Dominus tecum.

## AD PRIMAM.

*Ant. Ave. capitul. Lauda et de Laud.*

*ŷ. ŷ. br. Quæ Verbum Dei de Spiritu Sancto concepsit.*

## CANON.

Ex Gelasio Papâ Primo.

*Ep. 2. ad Laur. Ep.—Conec.*

*Tom. X. p. 93.*

488. Confitemur Dominum nos-  
trum JESUM Christum... de San-  
ctissima Virgine MARIA incarna-  
tum, et perfectum hominem ex ani-  
mâ rationali, et corporis susceptio-  
ne... Tu.

## AD TERTIAM.

CAPITULUM. *Isai. 7. 14.*

Ecc Virgo concipiet, et pariet Fi-  
lium, et vocabitur nomen ejus Em-  
manuel. Batrum, et mel comede-  
t, ut sciat reprobare malum,  
et eligere bonum.

*ŷ. br. Angelus Domini \* Nuntia-  
vit MARLE.—Angelus. ŷ. Et con-  
cepit de Spiritu Sancto.—Nuntia-  
vit Gloria.—Angelus.*

*ŷ. Ecce ancilla Domini.  
ŷ. Fiat mihi secundum verbum  
tuum.*

## AD SEXTAM.

CAPITULUM. *Luc. 1. 32.*

Dabit illi Dominus sedem David  
Patris ejus, et regnabit in domo  
Jacob in æternum: et regni ejus  
non erit finis.

*ŷ. br. Ecce \* Ancilla Domini.—  
Ecce. ŷ. Fiat mihi secundum ver-  
bum tuum.—Ancilla.—Glor.—  
Ecce.*

*ŷ. Et Verbum caro factum est.  
ŷ. Et habitavit in nobis.*

## AD NONAM.

CAPITULUM. *Is. 11. 1.*

Et egrediatur virga de radice Jesse,  
et flos de radice ejus ascendet.  
Et requiescet super eum Spiritus  
Domini.

*ŷ. br. Et Verbum \* Caro factum  
est.—Et.*

*ŷ. Et habitabit in nobis.—Caro.  
—Gloria.—Et Verbum.*

*ŷ. Benedicti tu in mulieribus.  
ŷ. Et benedictus fructus ventris  
tui.*

## IN II. VESPER.

*Antip. et capit. de Laud. Psalm.  
de Solemnitatib.*

HYMNUS 237. *Muret.*

Ad te sydereis missus ab arcibus  
Cum venit Gabriel, Virgo, renun-  
tians,  
Te summo ante alias complacitum  
Patri

Mox Matrem Domini fore.  
Turbalâ tibi tunc purpureus genas  
Sparsit mente pudor, nescia quòd  
viri,

Casto Sponsa licet, pectore virginem  
Semper te forè noveras.

Verùm idem subito nuntius ad-  
didit:

Istos pone metus: nam tibi datum  
est,

Ut virgo maneat, et tua compleat  
Sanctus viscera Spiritus.

Tunc ore ex roseo vox tibi pro-  
diit,

Testis mirificæ certa modestiæ:  
Ecce ancilla Deo subdita, nil moror,

Fiat quod Dominus jubet.  
Simplex æterei Numinis Unitas,  
Quæ distincta eadem est, veraque  
Trinitas,

Æternis vigeat semper honoribus  
Et terrâ simul et polo. Amen.

*ŷ. A sæculo non est auditum.*

*ŷ. Novum quod fecit Dominus  
super terram.*

*Ad Magnif. ant. Ecce completa \*  
sunt omnia, quæ dicta sunt MARLE  
ab Angelo: concepit de Spiritu San-  
cto, et effecta est Mater ipsius Dei.*

*Completor. de Dominicâ.*

*Quandò hæc solemnità. transfert.*

*ad tempus pasch. Officium fit omni-  
nò ut in die Annunt.*

## DIE XXVI. MART.

## B. V. GUADALUPENSIS.

## Duplex.

*Lectio. 1. Noct. de ferid.*

## IN II. NOCT.

## LECTIO 4.

*Balingh. Kalen. mar. die 26.*

## Mart.

Alphonso secundo regnante in Hi-  
spaniâ, anno millesimo trecentesi-  
mo decimo tertio, apud Guadalu-  
penses reperta est Imago Deiparæ  
innumeris miraculis illustris. Fama  
est Divom Leandrum Hispanensem  
Episcopum à Sancto Gregorio mun-  
us unâ cum commentariis in Job ac-  
cepisse, et apud clerum et populum  
solemni pompâ susceptam summo  
in honore fuisse. Pii aliquot Hispan-  
enses Sarraecenorum savitiam fu-  
gientes, eam ne ludibrio iis foret,  
secum detulerant, et in eoantro  
Guadalupensi eam condiderunt, unâ  
cum libro Historiam rei continente,  
et campanâ tere fusâ. Sexcentis ferè  
annis ea Imago ibi delituit, donec  
beate Virginii placuit eam sequenti  
modo revelare. Tu. ŷ.

## LECTIO 5.

Boarins, qui urbem Caelensem  
incolabat, vaccam amiserat, quæ  
cum per saltum inivium erraret,  
eam tandem in loco, ubi jam est  
templum reperit, sed mortuam.  
Cumque exerto cultro pellem ex-  
traheret, repente animal surrexit,  
quod boario ingenti metu percussit.  
Sed momento ad se reversus, Dei-  
param splendenter vidit, quæ di-  
xit, ne timeret. Ad urbem, inquit,  
mox perge, clerum convoca, ut hic  
fodientes imaginem meam inve-  
niant. Subjungente Boario, quid  
si mihi non credant? Tunc Deipara,

vade confidenter. Nam ubi domum  
pervenies, filium tuum, quem mor-  
tuum invenies, ad vitam redire  
jubebo: istudque signi dabit, vera  
esse quæ revelo. Tu. ŷ.

## LECTIO 6.

Itaque clerum ac populum convo-  
cat, visionem enarrat, et quæ à  
Deiparâ auditæ, filiumque vitæ  
reslitum ostendit, et ad Imaginem  
refodiendam eos adduxit. Fodientes  
autem loco designato, inantro Imagi-  
nem Beate MARLE Virginis unâ  
cum libro et campanâ reperiunt,  
omnia ita integra, ac si eo die  
posita. Cui læti in aram extempora-  
riam extruunt. Alphonso postea  
et Joannes Rex templum magnifi-  
centissimum extruxere, tribus  
magnis fornibus tectum, gratâ  
symetriâ partium insigne. In ejus  
arâ maximâ ingens sacrarum statu-  
tarum ordo visitur, inter quas me-  
dia est Beate Virginis Imago, quæ  
grato aspectu et majestate, tum  
amorem, tum reverentiam intuentium  
conciliat. Miraculorum quæ  
ad eam Imaginem Deus patrat,  
non est numerus. Tu. ŷ.

## IN III. NOCT.

*Lectio S. Evang. secundum Lucam.*

## LECTIO 7. c. 11. 27.

In illo tempore: Loquente JESU  
ad turbas, extolens vocem quædam  
mulier de turbâ, dixit illi: Beatus  
venter, qui te portavit. Et reliqua.

## Homilia S. Bernardini Senensis.

*Serm. de Nativ. B. V. M. c. 11.*  
Sola benedicta Virgo MARIA  
fecit Deo, vel tantum, ut sic dic-  
cam, quantum fecerit Deus toti  
generi humano. Credo enim certè  
quòd mihi indulgebit Deus, si  
nunc pro Virgine loquar. Congre-  
gemus in unum, quæ Deus ho-  
mini fecit. Primò namque Deus  
formavit hominem de limo terræ;

sed MARIA formavit eum de purissimis sanguinibus suis et de purissimâ carne suâ, quæ prævalét omnibus rebus mundi. Secundò Deus impressit homini decorem imaginis suæ: sed gloriosa Virgo impressit in eum imaginem suam. Nam sicut ipsa erat pulchrior omnium feminarum, sic JESUS est pulchrior et speciosior formâ præ filiis hominum. Tu. ꝑ.

## LECTIO 8.

Tertiò Dens fecit hominem sine passionibus famis, sitis, frigoris, et consilium, sed sedula Mater JESU, et præ cunctis hominibus pia, omnibus passionibus ejus occurrebat, scilicet fami, siti, nuditati, frigori, calori, sicut status pauperissimus exigebat, et hoc cum maximâ patientiâ suâ. Quartò vestivit Deus hominem pellicâ veste: sed Virgo benedicta vestivit eum in præsepio suis pauperulis pannis, et processu temporis tunicam inconsutilem ei fecit, quæ prævaluit omnibus vestibus mundi. Tu. ꝑ.

## LECTIO 9.

Quintò docuit Deus hominem sapientiam: sed sapiens et prudentissima Virgo MARIA docuit Christum puerilia aliqua fugere, et sequi eam. Sextò nutritiâ Deus hominem de fructibus paradisi: sed beatissima Virgo nutritiâ Christum de suo sacratissimo lacte, ubere de celo pleno, cujus minima stilla prævalét omnibus fructibus paradisi terrestriis ac totius mundi. Reddendo ergò singula singulis, scilicet, quæ fecit Deus homini, et quæ fecit Deo Beata Virgo, videbis quòd plùs fecit MARIA Deo, quàm homini Deus, ut sic pro solatio dicere liceat, quòd propter Beatam Virginem, quam tamen ipse fecit Deus, quodammodo plùs obligetur nobis, quàm nos sibi. Tu. Te Matrem.

## DIE XXVII. MART.

## DE III. DIE INFRA OCTAV.

## Semiduplex.

## Orat. Sacram. Gelas.

Exaudi nos, Domine, Sancte Pater, omnipotens æterne Deus, qui per Beate MARIE sacri uteri diviniæ gratiæ obumbrationem universum mundum illuminare dignatus est; majestatem tuam supplices exoramus, ut quod nostris meritis non valemus obtinere, ejus adipsi scilicet præsidii mereamur. Per Dom.

## AD MATUTIN.

HYMNUS 238. *L. Massorill. Fulg.*  
Quis tuas, Virgo veneranda, laudes  
Execqui dignis valeat camenis?  
Cui parem vitæ probitate nulla  
Protulit ætas.

Nuntius celo veniens olympo,  
Diva, te flexis genibus salutat,  
Et Sacramentum tibi pandit altum  
Omnipotentis.

Tunc subdit sedes uteri pudici  
Patris æterni generosa proles,  
Atque mortales sine fine vivens  
Induit artus.

Quemque complecti nequeunt  
Potentem  
Regna stellati spatiosa cœli,  
Ventris angusto latitat cubili  
Parvulus Infans.

Sit deus summus sine fine Christo,  
Sancta quem Virgo genuit MARIA,  
Qui Patri compar Spiritui Sancto,  
Regnat in ævum. Amen.

Lect. 1. Noct. de Fer. occur.

## IN II. NOCT.

Ex libro S. Hildephonsi Arch.  
Toletani de Virginitate.

## LECTIO 4.

Quomodò fiat, quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de apparitiâ requiris, de ordine sciscitaris. Audi inauditum orac-

lum, considera inusitatum opus, animadvertite incognitum arcanum, attende invisum factum: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Tu. ꝑ.

## LECTIO 5.

Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te, sola personarum Filius Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Tu. ꝑ.

## LECTIO 6.

Ece beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ece ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te venerunt omnes celestes virtutes, beatam te prædicant omnes vates, beatam te celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectionis nostræ, beata præconis et prædicationibus meis. Tu. ꝑ.

## IN III. NOCT.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 1. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galiliæ, cui non est Nazareth, ad Virginiem desponsatam viro. Et reliqua. Hom. S. Gregorii Neocæsariensis Ep.

## Orat. 2. in Annuntiat.

Ad castissimam Virginem missus est Gabriel incorporeus, ad eam, quæ in corpore vitam transigebat incorruptam, in castitate ac virtutibus viventem. Et ad ipsam veniens primum illud ave gratiâ plena, Dominus tetum, ipsi sic annuntiat. Ave, gratiâ plena: Tu enim, quæ reverâ gaudio sunt digna agis, quoniam immaculatam induta es

vestem, et cingulo continentis, ac pudicitie cincta es. Ave gratiâ plena, quæ supercælestis lætitiæ vas es, atque receptaculum. Ave gratiâ plena, nam per te gaudium omnino dispensatur creature, genisque humanum antiquam recuperat dignitatem. Ave gratiâ plena, quoniam in tuis Creaturæ universorum gestabitur. Tu. ꝑ.

## LECTIO 8.

Ipsa verò in hoc turba est verbo, nam ad quoscumque virorum affectus erat insolita: et quietem atque silentium, ut continentia ac castitatis matrem amplectebatur: cumque puritatis, atque integritatis immaculatam simulacrum esset, aspectum ipsa angelicum, sicut plures ex prophetis, non reformidavit: quoniam et affinitatem quamdam ac similitudinem vera virginitas cum angelis habet. Studiosè quippe Sanctissima Virgo lanpadem Virginitatis conservabat, et ne extingueretur, providè diligenterque curabat. Tu. ꝑ.

## LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Limanæ de Rosario.

## Gumremb. 1026.

Hanc Deiparæ statuam è ligno incognito sculptam tulere secum Hispani, cum primum Peruanum regnum ingrederentur. Justæ magnitudinis est, et in templo Patrum Dominicanorum. Anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto, ipsæ invocata sexcenti Hispani, quibus solebat semper fuit, Deiparæ se ante pugnam commendare ducenta millia barbarorum devicere: visa enim est ipsa in prælio, et ab utrisque observata eâ omnino figurâ, apparuisse, quâ in hæc Sanctâ Statuâ colitur. Diva Rosa Limana quidquid voluit pro se et aliis impetravit, et nunquam sine



solatio ab eâ digressa est. Tu  
Te Matrem.

## CANON.

Ex Sancto Felice Papâ.  
*Ep. 3. ad Petr. Fullonem. —*  
*Conc. Tom. X. p. 22.*

189. Patris intimum substan-  
tiale Verbum ac Deus per Concep-  
tâe Virginis auris illapsum concep-  
tionem ineffabiliter operatum est.  
Tu.

*Vesper. Dupl. ut in 2. Vesper.*  
*Annud. Oratio sequens.*

DIE XXVIII. MART.

## CONSILII B. MARIE V.

Duplex.

*Omnia ut in die Annud. nisi*  
*transferatur.*

Oratio.

Mentes nostras, quæsumus, Do-  
mine, Paraclitius, qui à te pro-  
cedit, illuminet, ut qui donum  
Consilii in Beatissimâ Virgine ce-  
lebramus, Spiritu Consilii reple-  
ri possimus. Per Dominum... ejusdem  
Spiritûs.

*Lection. 1. Noct. de ferid.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Antonini Arch. Florentini.

*Le B. V. c. 18. §. 3.*

LECTIO 4.

Donum Consilii est habitus, quo  
homo accipit quod agendum est,  
quasi per certitudinem à Spiritu  
Sancto edoculus supra humanam  
rationem. Vel consilium est donum  
quo Spiritus Sanctus nos dirigit in  
omnibus, quæ ordinantur in finem  
vitæ æternæ, sive sunt de necessi-  
tate salutis, sive non. Hoc dono et  
gratiâ plena fuit Virgo beata super  
viatores, quod sic probat Albertus.  
Tu.

¶ Ego sapientia habito in con-  
silio, et eruditus inersum cogitatio-  
nibus: \* Quia meum est consilium  
et æquitas, mea est prudentia,

mea est fortitudo. ¶ Qui agunt  
omnia cum consilio meo, reguntur  
sapientia. QUIT.

LECTIO 5.

Cum venerit ille Spiritus Sanctus  
docebit vos omnem veritatem, scilicet  
de agendis ad salutem; sed  
Spiritus Sanctus venit proportio-  
nabiliter in Beatâ MARIA, magis  
quàm in quemlibet viatorem purum,  
et in conceptu Filii, et in die Pen-  
tecostes, cum esset cum Apostolis,  
quandò venit in specie ignis; ergò  
in agendis maximè fuit edocula per  
donum consilii. Tu.

¶ Si intraverit sapientia cor-  
tuum, et scientia animæ tuæ pla-  
cuerit: \* Consilium meum custodiet  
te semper. ¶ O Fili mi, ne effluat  
hæc ab oculis tuis: custodi legem  
et consilium. — Consilium.

LECTIO 6.

Item secundum Philosophum cu-  
jus est operari, ejus est et operanda  
cognoscere. Et cujus est in omni-  
bus, et præ omnibus benè operari,  
ejus est super omnes operando cog-  
noscere, et benè discernere, quod  
pertinet ad consilium. Sed Beata  
MARIA fuit perfectissima observa-  
rix et mandatorum et consiliorum  
Dei super omnes; ergò habuit cog-  
nitionem consiliorum circa agenda  
per donum consilii. Fuit et amicis-  
sima et familiarissima Domino su-  
per omnes, undè et edocula de rebus  
secretis. Tu.

¶ Audi consilium, et suscipe  
disciplinam, ut sis sapiens in novis-  
simis tuis: \* Cor boni consilii statue  
tecum. ¶ Dissipantur cogitationes,  
ubi non est consilium. — Cor. — Glo-  
ria. — Cor.

*Homilia ut in die 7. Januarii*  
*p. 341. cum seq. Responsorius.*

¶ Loramentum ligneum colli-  
galum in fundamento aedificii non  
dissolvitur: \* Sic et cor confirma-

DIE XXIX. MART.

## DE V. DIE INFRA OCTAV.

*Semiduplex.*  
AD MATUTIN.

HYMNUS 239. L. Mansor. F.

O nimis felix, superumque regi  
Gratior cunctis albis Puella,  
Pulehrior lunâ, nitidoque vincens  
Lumine Phœbum.

Te chori divam celesrent superni  
Vocibus lætes, fidibus canoris,  
Et tuum sanctum populi frequentes  
Numen adorent.

Namque cœlorum Dominum po-  
tentem,

Quem nec inmensus capiebat orbis  
Ventrus angusti niveo tulisti

Virgo cubili.

Hocipium munus superi Parentis,  
Quo stupet cœlum, stupet alma tel-  
lus,

Nulla te præter veteris recepit

Femina legis.

Sit deus summo sine fine Christo,  
Sancta quem Virgo genuit MARIA,  
Qui Patri compar Spiritui Sancto  
Regnat in ævum. Amen.

*Lection. 1. Noct. de fer. occur.*

IN II. NOCT.

Sermo S. Augustini Ep.

*Scrm. 291. in Nativ. S. Joan. Bapt.*

LECTIO 4.

MARIA propositi sui memor, et  
sancti voti conscia, quia noverat,  
quid voverat, dicendo: quomodò  
fiet istud, quoniam virum non cog-  
nosco? modum quæsit, non de  
Dei omnipotentia dubitavit. Quo-  
modò fiet istud? Annuntiavit mihi  
Filiûm, habes meum paratum ani-  
mum, dic mihi modum. Potuit enim  
Virgo Sancta metuerè, aut certè ig-  
norare consilium Dei, quomodò  
eam vellet habere filium, quasi im-  
probasset Virginis votum. Quid enim  
si diceret: Nube, conjunge te viro?  
Non diceret Deus, accipit enim vo-

tum in cogitatione consilii. ¶ Audi  
filii mi, et accipe consilium intel-  
lectus, et ne abicias consilium meum.  
— Sic.

*Bened. Cujus Consilium colimus.*

¶ Scientia Virginis tanquam  
inundatio abundavit, \* Et consilium  
illius sicut fons vitæ perennis. ¶ A  
mari enim abundat cogitatio ejus,  
et consilium illius ab abyso mag-  
nâ. — Et cons. — Gloria. — Et cons.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Trevirensis.

*Baligh. Kal. mar. die 25. Mart.*

Anno Domini millesimo quadrigen-  
tesimo nono Jacobus de Sirch Ar-  
chiepiscopus Trevirensis dedicavit  
Basilicam Beatæ MARIE Virginis  
ab urbe Trevirensi tertio circiter  
lapide. In eâ plurima sunt mira-  
cula occasione Imaginis ejusdem  
Virginis in eâ collocatæ. Quam Im-  
aginem prius rusticus quidam vini-  
tor, Deiparæ et castitatis amator,  
in summo stipite in loco deserto ter-  
ræ infixo devotionis suæ alendæ  
causâ collocarat. Post eâ ejusdem  
Virginis monitu eidem domnen-  
tam extruxit, et in ejus muro hanc  
Imaginem collocavit. Ubi cum mi-  
racula plura fierent, et innumera  
quotidiè ab adventantibus fierent  
oblationes, Sacellum paulò majus  
erectum est, et postmodum circa  
Sacellum Basilica viginti et sex  
passuum longitudinis ædificata. Tu  
Te Matrem.

CANON.

Ex D. Antonino Arch. Florentino.

*Titul. 15. c. 19. §. 3.*

490. Consilium est donum quo  
Spiritus Sanctus nos dirigit in om-  
nibus, quæ ordinantur in finem vi-  
tæ æternæ, sive sint de necessitate  
salutis sive non. Hoc dono et grâ-  
tiâ plena fuit Virgo Beata super om-  
nes viatores. Tu.

*Vespera de infra octav.*

tum Virginis quomodo Deus. Et hoc ab illa accepit, quod ipse donavit. Tu. ꝑ.

## LECTIO 5.

Die mihi ergo, nuntie Dei, quomodo fiet istud? Vide Angelum scientem, illam quarentem, non diffidentem, non se negavit instruente. Audi, quomodo: erit virginitas tua: tu tantum crede veritatem, serva virginitatem, accipe integritatem. Quoniam integra est fides tua, intacta erit et integritas tua. Denique audi: quomodo fiet istud: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virius Altissimi obumbravit tibi: quia fide concipis, quia credendo in utero habebis, propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Tu. ꝑ.

## LECTIO 6.

Quid est, quae postea paritura es? Unde meruisti? Unde hoc accepisti? Unde, inquam, tibi hoc tantum bonum? Virgo es, Sancta es, votum vovisti: sed multum quod meruisti, immo verò multum quod accepisti. Nam unde hoc meruisti? Fit in te, qui fecit te: fit in te per quem facta es: immo verò per quem factum est caelum et terra, per quem facta sunt omnia: fit in te Verbum Dei caro, accipiendo carnem, non amittendo divinitatem. Tu. ꝑ.

## IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo, ad civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliqua.

Homilia S. Titi Bostrorum Ep.

In cap. 1. Luc. exposit.

Sacratissimam Deiparamque Dominam nostram viro de familia

Davidis desponsatam asserit Evangelista, per hoc utique indicare volens, ex eodem illo Davidis genere, undè JOSEPH, qui illam duxerat, ortum habebat, ipsam quoque incolpatisimam Virginem fluxisse. Nam secundum legis præscriptum aliena tribus mulierem matrimonio sibi jungere fas non erat. Tu. ꝑ.

## LECTIO 8.

Ave gratiâ plena. Quandoquidem Deus ad Evam dixerat: in dolore paries filios: propterea angelus gaudium, per quod dolor olim decretus, solvatur, Virgini denuntiatur: Ave, inquit, gratiâ plena. Dominus tecum. Quod dicit, hinc tendit, ne existimes, Virgo, me absolum, aut mollem aliquem sermonem ad te deserre, cujusmodi inuoluptas puellas juvenes nonnunquam solent: civinus est enim quem adfero: quippe cum hoc ipso, quod Dominum tecum esse aseram, oblate salutationi Dei memoriam admisceam. Tu. ꝑ.

## LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Cordubensis de Fonte Sancto.

## Gumpenb. Imag. 3.

Statua Deiparæ de Fonte Sancto, quæ Cordubæ honores accipit, propè quandam fontem, ipsâ Virgine indice, reperta creditur. In urbem deinde deportata, brevi cepit miraculis clarere. Aragoniæ Rex febris laborans in hujus fontis aquâ salutem invenit. Avinctis præserim et captivis nunquam sine operæ prelio invocata fuit. Antè hanc Imaginem orans Thomas Sanchez, theologus insignis, linguæ, quam impedilam prius habebat, usum in omnem eloquentiæ ornatum expeditum, ab ipsâ Virgine non sine miraculo accepit. Tu.

Te Matrem.

## CANON.

Ex D. Ambrosio Episcopo.

De Sacram. 1. 4. c. 3.

491. Non ex virili semine generatus est, sed natus de Spritu Sancto ex Virgine MARIA, utero editus est virginali, similis per Dei omnia Filio Dei. Tu.

Vesper. ut in 2. V. Annuntiat.

## DIE XXX. MART.

## B. V. M. A. CRYPTA.

Semiduplex.

Omnia, ut in die Anunt. nisi transferatur.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. de ferid.

## IN II. NOCT.

## LECTIO 4.

Octav. Cajet. de effigeb. siculis.

Ad sinistram Panormitani sinus ripam antrum erat, et in eo effigies depicta Virginis Deiparæ lacrum Filii corpus sustentans gremio. Adjectum prius fuerat antrum, et nauticæ gentis augurium, ibi nulla habita sacra Imagini venerat: sed anno salutis millesimo quingentesimo sexagesimo quarto sanctissima Parasceves die, dum Pueri luderent in eo antro ante Virginis Iconem, animadvertunt magnam sudoris et lacrymarum copiam ex fronte oculisque Deiparæ emanare: exterriti prodigio pueri prosiliunt, et rem prædicant per vias. Tu. ꝑ.

## LECTIO 5.

Ad eorum nuntium mulier, quæ ibi forè versabatur, et lateris dolore laborabat magnâ spe in Virginitem conceptâ, si infirmi corporis partem obliniret, ad antrum properat festina, uti prior omnium ingressa, velut ex alterâ piscinâ, cælesti beneficium acciperet. Nec irrita spes evanuit, nam ingressa

specum, admoque corpori sudore virgineo repente sanitatem recepit: actis Virginis gratis sana mulier vulgo miracula enarrat, quibus resbus commotus populus, undiquè ad novum gratiarum fontem concurrit. Tu. ꝑ.

## LECTIO 6.

Elargita est tam plurimis sua dona Virgo præserim iis, qui majori cum fideliâ ad se confugerent, quod celeberrimum exitiis nomen illius antri. Inter cætera prodigia vocem multo ab oriu suo dedit, infantem è matris utero disortium sanavit, mortali vulnere sanciam Catanensem curavit, Græcam à septem demonibus liberavit, et infinita sanè miracula edidit, quæ longâ serie in ejus templo videntur in tabulis defixa. Indè statim auro oblita fuit imago, antrum argento contextum, ubi nobilis, ac præ divæ ara constructa, ipsum antri tectum cælo ornatum aureis stellis distincto, extra antrum templum erectum est, summâque pietate ab omnibus colitur. Tu. ꝑ.

## IN III. NOCT.

Homil. de die, pro Duplic. si transferatur.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

## LECTIO 7. c. 2. 26.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro. Et reliq.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

In Luc. libr. 2.

Ece, inquit, ancilla Domini: contingat mihi secundum verbum tuum. Vide humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini, quæ mater eligitur, nec repentinò exaltata promisso est. Simul ancillam dicendo, nullam sibi præroga-

